



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindellicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio I. Mundus magnus & parvus nobis crucis Dominicæ
memoriam ingerunt, & quodammodo inculcant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO I.

Mundus magnus & parvus nobis Crucis
Dominicæ memoriam ingerunt, & quodamo-
do inculcant.

Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Gal. 6. 14.

I.



Sanctus Paulus illuminatissimus Gentium Doctor in nulla
alia re gloriari voluit, quàm in Cruce Domini; non in
sapientia sua humana, quàm super alios excelebat: *Pro-* Gal. 1. 14.
ficiebam in Judaismo supra multos coetaneos meos &c. Non in
honoribus, quia Lystris, ubi claudum ex utero matris
suae verbo sanabat, ipsum Iconii ut DEum sacrificiis
volebant colere: *Dii similes facti hominibus, descenderunt ad nos.* Non in Act. 14. 10.
divitiis hujus sæculi, quibus facilè, ut homo nobilis & civis Romanus,
abundare poterat, quas tamen *arbitratus est ut stercora &c.* Sed unicè glo- Philipp. 3. 8
riari voluit in cruce Domini; quia sciebat per illam se esse redemptum,
& in libertatem filiorum DEI assertum; unde ad Galatas scripsit, &
auream hanc sententiam posteritati humanæ reliquit: *Mihi autem absit Gal. 6. 14.*
gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus cruci-
fixus est, & ego mundo. Subintrat hic S. Augustinus: *Poterat, inquit, s. Aug. Serm.*
Apostolus gloriari in sapientia Christi, & verum diceret; poterat in majestate, 20 de Ve b,
poterat in potestate, & verum diceret: Sed dixit in cruce. Ubi mundi Philoso- Apost.
phus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit, ut qui gloriatur, in Domino glo-
rietur:

Ginther Unus pro omnibus.

A

rietur:

rietur: Quo Domino? Christo Crucifixo: ubi humilitas, ibi majestas: ubi infirmitas, ibi potestas; ubi mors, ibi vita: Si vis ad illam venire, noli ista contemnere, noli erubescere; idè in fronte. tanquam in sede pudoris signum crucis accepisti.

2. Solet autem Mundus magnus & parvus nobis quotidie Dominicæ Crucis ingerere, & refricare memoriam: Consideremus singula: Crucem in terra jacentem contemplare, quæ sine mora, velut lingua Magnetica suum Polum, sic Crux jacens quatuor mundi plagas, hoc est, Asiam, Africam, Americam & Europam tibi ostendet: *Crux jacens*, ait S. Augustinus, *quatuor mundi partes appetit, quia Christus per passionem omnes gentes ad se trahit; unde & David: Oculi ejus super gentes respiciunt.*

S. Aug. Scrm.
181. de Temp.
Psal. 65. 7.

Erigamus modò jacentem Crucem in altum, in qua pars suprema cælum, ima infernum respicit, duò verò Crucis cornua, seu longum & latum Orientem & Occidentem spectent; Pars, inquam, suprema cælum respicit, quia Christus per Crucem suam ruinam Angelorum reparavit, & cælum Empyreum innumeris Sanctis & Electis replevit. Et hoc est, ad quod alludit Vates regius: *Implebit ruinas &c.* Pars Crucis inferior limbum & purgatorium spectat, quas inferiores terræ partes Christus per crucem & passionem suam ad se attraxit, & in altum

Psal. 109. 8.

Ephes. 4. 8.

S. Gregor.
Nyss. orat. 1.
de Resurrect.

captivam duxit captivitatem. Longum & latum, seu lignum transversum in cruce erecta Orientem & Occidentem intuetur, quas orbis plagas pientissimus Redemptor pari modo per crucem suam ab interitu redemit, & Judæos cum Gentilibus in unam coadunavit Ecclesiam, & idè S. Gregorius Nyssenus S. Crucem appellat *Universitatis vinculum.*

Gen. 1. 27.

S. Athanas. l.
1. 2na. con-
templ. in gen.

3. Si Mundum parvum, seu hominem placet considerare, dicit de eo Scriptura: *Creavit DEUS hominem ad imaginem & similitudinem suam:* Et quomodo, dices, ad imaginem & DEI similitudinem? Respondet S. Athanasius: *Homo, inquit, ad formam crucis figuratam habet imaginem, ut qui sit ad imaginem Crucifixi.* Extende brachia, & Crucifixum representabis.

Alphonf.
Ciacon. de
signis S. Cru-
cis.

Considera Solem astrorum principem, crucem tibi representat, dum in latissimo cæli firmamento radios suos in altum & profundum, in longum & latum effundit; sed hoc est, crucem & quidem quam maximam formare. Sta hîc, lector prudens, oculos tuos leva nunc ad Orientem, mox in Occidentem, exinde ad Meridiem, & tandem ad Septemtrionem, ecce crucem formasti. Constantinus Magnus Imperator Romanorum, cum adhuc esset gentilis, & nunc contra Maxentium tyrannum moveret exercitum, in ipsis radiis solaribus manifestè SS. Crucis signum conspicatus est, legitque sub sole à meridie paululum deflectente, hanc consignatam inscriptionem: *In hoc signo vin-*
Quid

Quid dico de Luna? An non pariter Crucis figuram representat, dum cornua sua per modum Crucis expandit? Ita anno 1567. die 28. Idem apud me 6. 185. Januar. hora 4. noctis observatum fuit, quod Crux splendidissima supra lunam cavam apparuerit, quæ ad auroram usque perdurans radios suos longè lateque in orbe diffudit. Hæc alma Crux supra cavam lunam (qualem Turcæ pro suo Insigni tenent) mirè tunc refulgens felix nuntia fuit illius insignis victoriæ, quam Christiani foedere juncti sub S. Pio V. P. M. & Joanne Archiduce Austriaco ad sinum Corinthiacum propè Aciatum Promontorium de classe Turcica reportarunt.

4. A sole & luna ad stellas transeamus: *Suspice cælum, & numera* Gen. 15. 5. *stellas, si potes, & videbis, quod omnia hæc cœli sidera in immenso illo & cæruleo campo discurrentia ne quidem micare velint, nisi pariter radiis suis exprimant crucem. Refert Mancinus S. J. quod versus Polum Antarcticum Crux quædam ex stellis splendidissimis composita & Mancin. l. 1. d. 1. p. 2. navigantibus soleat observari, quæ navibus in vastissimo æquore errantibus securam ad portam monstrat viam. Unde quamprimùm nautæ in linea æquinoctiali ad conspectum hujus stelliferæ Crucis perveniunt, illam tanquam fidissimam viarum ducem magno animi cum jubilo salutant.*

De S. Joanne Silentario olim Ecclesiæ Coloniensis Episcopo refert Baronius, quod illi stella quædam, quæ crucis figuram præferulit, Baron. ad annum Christi 491. diu in obscuro itinere præluxerit, elque viam securissimam usque ad S. Sabam monstraverit, qui ex eadem stelliferâ cruce hanc vocem audivit: *Si vis esse salvus, sequere hanc lucem.* O anima Christiana! sequere & tu hanc tutissimam crucis stellam, cunctis astris longè splendidior, quæ haud dubiè tibi rectissimam ad cælum viam ex hoc turbido & periclitanti mundi pelago monstrabit, non enim à salutis tramite aberrare potest, qui crucem tanquam ducem sequitur: *Crux, inquit Hesy chius, lumen Christi est, quod orbem illuminavit.* Consequenter & Hesy ch. in catena. te illuminabit, si majorem imposterum ad eam habebis venerationem.

5. Transeo ad quatuor Elementa, inter quæ principatum sibi vendicat ignis: *Pondera mihi pondus ignis, an non cõ suam levitatem* Esd. 4. 5. *semper movetur sursum, & ex parte per successionem novi ignis prioris propellentis in transversum? Sed sursum & in transversum moveri facit & exhibet crucem; accedit, quod ligna ardere vix soleant, nisi per modum crucis disponantur.*

Aër nobis exhibet crucem; considera quatuor ventos, qui perflant orbem: Eurus ab Oriente, Zephyrus ab Occidente, Auster à meridie, Aquilo à Septemtrione insurgit. Sic vidit quondam Ezechiel

chiel resurrectionem generalem hominum per istos quatuor ventos in unum conflantes, esse futuram: *Hæc dicit Dominus DEUS: à quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reviviscant.* Nota hic prudens Lector, quatuor isti venti in unum centrum à quatuor orbis partibus conflantes, quid aliud faciunt quàm latissimam crucem? Cui veritati assentit ipse DEI, hominisque Filius, qui *congregabit electos à quatuor ventis à summo cælorum usque ad terminos eorum.*

Leva ulterius oculos tuos, & perpende omnia volatilia secundum genus suum, an non alis suis expansis, dum per aërem volant, crucem formant & exprimunt? Ita S. Hieronymus: *Aves, inquit, quando volant ad aëthera, formam crucis assumunt.* Et tu anime mi, sine cruce vis venire in cælum? Absit.

6. Ad elementum aquæ descendamus: *Dixit verò DEUS: Congregenter aqua, quæ sub cælo sunt, in locum unum, & appareat arida, & factum est ita.* Hæc congregatio, seu collectio aquarum ex quatuor mundi plagis ad unum centrum & maris abyssum coëuntium, an non formavit crucem? Sic & fluvius ille, qui *egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradysum, qui inde dividitur in quatuor capita,* quid aliud expressit, quàm crucem? Attende insuper in hoc elemento aquæ omnes pisces, nunquid natando, & pinnulas suas extendendo formam crucis representant? Imò lupus piscis non crucem solum, sed & cætera passionis

Dominicæ instrumenta in capite tenet. Quid dico de navibus immensum æquor sulcantibus? Audi S. Ambrosium: *Cruce, inquit, est in navi: Ubi? Resp. in omnibus lignis in transversum compactis, ac præsertim in malo, quæ tanquam cruce in medio navis erecta inter cæteras machinas ac structuras mirandum in modum eminere assolet, quæ destructa & ventorum furis dissipata, navis certo naufragio est exposita, hinc lemma: Male sine malo; Sic malè sine cruce.*

7. Denique ad elementum infimum, quod terra est, accedimus: *Terra, ait S. Justinus, sine crucis vestigio non aratur.* Inspice arbores omnes, an non expansis brachiis suis figuram crucis præferunt? Imò & fructus earum cruce carere non volunt; aperi corticem nucis, & in medio illius subtile lignum invenies, quatuor nucleos per medium in

modum crucis dividens: *Descendam in hortum nucum,* dicebat quondam sponsus; per quem hortum nucum S. Augustinus amarissimam Christi passionem & lignum crucis intelligit. Refert Quaresmius, quòd nobilis quidam miles in Belgio oriundus, ubi loca sacra in Palestina visitavit, ad sepulchrum Christi nucem invenerit, quam in patriam suam rediens in horto suo implantavit, ex qua perfectissima cruce & in

in ea imago Crucifixi Salvatoris nostri excrevit, quæ effigies etiam-
num in monasterio sanctæ Mariæ Magdalænæ ad oppidum Trajecten-
se supra ripam Mosæ in Diocesi Leodiensi piè asservatur & honoratur.


Bosius recenset de vite, quòd in Hispania in valle Soletana in
monasterio S. Benedicti in hodiernum usque diem prodigiosa quædam
Crucifixi imago asservetur, quæ ex radice cujusdam vitis mirabiliter
excrevit, & nunc quàm plurimis beneficiis ac prodigiis coruscat. En
quàm bene Christus seipsum viti comparaverit: *Ego sum vitis vera.*

Bosius de
cruce tri-
umph,

Joan. 15. 1.

Scinde pyra & poma, & in medio illorum reperies crucem. Po-
mum Paradisiacum non crucem tantum sed etiam Crucifixi imaginem
in medio exhibet; Granadilla crucem & cætera passionis Dominicæ
instrumenta clarissimè & ad oculus monstrat; Malum Punicum seu
Granatum meris crucibus internis est refertum; tale Christus Domi-
nus dono dedit B. Joanni à DEO hospitalitatis Fundatori, dicens:
Granada sarà la tua croce. Sed in quem finem hæc omnia? Nunquid
DEUS & natura aliquid frustra faciunt; Minimè; disce ergo amare
crucem, & in ea pendentem orbis Redemptorem. Verè mi Domi-
ne, qui te non amat, anathema sit.

Hadr. Lyraus
lib. 6. c. 1. de
Chr. pat,



CONSIDERATIO II.

**CruX est arbor vitæ & salutis, ad quam
nos oportet in omni tentatione & pericu-
lo confugere.**

*Ecce arbor in medio terræ, & altitudo ejus nimia.
Dan. 4. 7.*

1.

TRia quondam ligna DEUS in horto Paradisi plantavit, lignum
vitæ, lignum scientiæ boni & mali, & cæteras arbores tum
frugiferas, tum infrugiferas; unam sibi reservavit, arborem
videlicet scientiæ boni & mali, de qua protoplastis præcepit:
De ligno scientiæ boni & mali ne comedatis. Comederunt miseri, Gen. 2. 17.
A 3 & fa-